


CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM  
DE SACRA LITURGIA

---

# NOTITIAE



IANUARIO-APRILI 1965

---

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

Utrum pro unaquaque oratione debeat ab ambone recedere et ad sedem (vel ad altare), accedere ad pronuntiandam orationem?

*Resp.*: Potest in casu etiam orationes proferre ex ambone.

Ad n. 47:

67. Utrum celebrans, deficiente lectore seu ministrante idoneo, praeter lectiones, proferre possit ex altari « versus ad populum » etiam Graduale, Alleluia, Tractus, etc., si non cantentur vel legantur a schola vel a populo?

*Resp.*: Potest.

Ad n. 49:

68. Utrum genuflectendum sit ad verba *Et incarnatus est...* in festo Nativitatis Domini tantum, an durante tota Octava.

*Resp.*: Die 25 decembris tantum.

69. Utrum genuflectendum sit ad verba *Veni, sancte Spiritus* in Missa dominicae Pentecostes tantum, an etiam durante tota octava?

*Resp.*: In dominica Pentecostes tantum.

Ad n. 51:

70. Quando dicitur *Credo* in Missis lectis debetne celebrans post Evangelium ad altare ascendere, vel ad sedem recedere, et iterum ad ambonem accedere pro oratione fidelium?

*Resp.*: In Missis lectis, quando celebrans ipse legit Evangelium ad ambonem, *Credo in unum Deum* intonet, iuxta *Ritum servandum* n. 50 « ad sedem vel ad altare ». Ex eodem loco, potius quam ex ambone, ut vitetur nimis frequens mutatio loci, dirigat orationem fidelium (cf. *Ritum servandum* n. 51).

Ad n. 61:

71. Quid facere debet celebrans, cum *Sanctus* a schola tantum, musica « polyphonica » canitur?

*Resp.*: Interim opportunius videtur nihil mutare et celebrantem statim inchoare *Te igitur* dum canitur *Sanctus*.

Ad n. 83:

72. Utrum liceat diacono, vi consuetudinis et magnae christifidelium affluentiae, in Missa sollemni ministerium suum ad altare relinquere ad sacram Communionem distribuendam?

*Resp.*: Negative. Quod vetitum fuit iam per *Cod. rubr.* n. 502: « Tempus proprium sanctae Communionis fidelibus distribuendae est infra Missam, post Communionem sacerdotis celebrantis, qui ipsemet eam petentibus distribuat, nisi propter grandem communicantium numerum conveniat, ut ab alio vel ab aliis sacerdotibus adiuvetur ».

Dedecet omnino, ut in eodem altari, in quo actu Missa celebratur, ab alio sacerdote (sive in casu: a diacono) sancta Communio distribuatur, extra tempus Communionis proprium.

Ad n. 84:

73. Utrum Missale pro legenda antiphona ad Communionem et subsequentem orationem in medio altaris poni possit si, deficiente ministrante apto ad calicem ex altari auferendum, calix ab ipso celebrante supra altare aliquantulum versus latus dexterum ponatur.

*Resp.*: Nil obstat ut ita fiat.

Ad n. 87:

74. Quando fit expositio sollemnis SS.mi Sacramenti in fine Missae (ex indulto), num dicendum *Ite, missa est* et benedicendum populo, vel potius, ut feria V in Cena Domini et in festo Corporis Christi in Missa quae praecedit processionem *Benedicamus Domino* et *Placeat* sine benedictione (quod rationi magis consentaneum videtur)?

*Resp.*: Nil in ritu Missae mutetur. Agitur enim de duabus actionibus diversis et non inter se connexis.

#### DE RITU SERVANDO IN CONCELEBRATIONE MISSAE

Ad nn. 9 et 10:

75. Potestne sacerdos, qui indultum habet, diebus dominicis et festis bis aut ter Missam celebrandi, in secunda aut tertia Missa concelebrare? Et quid hoc in casu de stipendio?